

turbarum, & errorum; qualicumque poenitentia ductus. Voetius confitetur l.c. *spiritibus illum, postquam penitus eos perspexerat, renun-  
diasse, Deique gratia prudentius postea egisse.* Verum clade rustico-  
rum, ipsiusque Munzeri, perterritus, id fecit, siquidem probe  
intelligeret, non posse se aliter, quam sententiarum retracta-  
tione, potestatem consequi, in Saxoniam, ex qua proscriptus,  
& exterminatus erat, redeundi. Quibus motus Lutherus,  
Caroloftadium Electori reconciliavit, & multis magnisque pre-  
cibus eo rem perduxit, ut integrum ipsi esset, regiones Saxo-  
nicas repetere. Interea temporis, dum haec Lutherus medita-  
retur, Caroloftadium, clam accersitum, in suis aedibus occul-  
tavit, donec Electorem exoraret. Neque aliquis eius rei fuit  
conscijs, praeter M. Wolfium, Lutheri amanuensem. Quae  
Alberi commemoro fide. Nam apud alios illam circumstanti-  
am adeo plene, vix memini, me legisse. Sed non praestitit Lu-  
thero animum, pro tantis beneficiis, gratum. Instituit namque  
literarum cum Schvvenckfeldo & Krautvvaldo, notissimis Sile-  
siae Fanaticis, commercium, animumque a Lutheri, eiusque  
doctrina, alienum, satis superque prodidit. Ita ex socijs cogno-  
scitur, qui non cognoscitur ex se. Tandem vero, contra datam  
Luthero, ipsique Electori, fidem, clam ex Saxonia auffugit, &  
Tigurum primum, dein Basileam sese contulit. Vbi Pastoris  
munere functus, A. clo Io XLI. obiit, non sine indignationis  
divinae indicio, si famae constanti, atque omnium celebratae  
fermonibus, aliquid tribui possit. Scio enim Boquinum iam  
tum in dubium vocasse, quod ipsum Theologi Basileenses, de  
eius morte, ad exteros perscripserunt. Id tamen dicimus, vi-  
deri Caroloftadium in nonnullis remissionem factum. Nam  
gradus Academicos, quos antea tantopere averfatus erat, ita  
probavit, ut Simonem Grynaeum ante, admittere ad professio-  
nem Theologicam noluerit, quam nomen Theologiae Docto-  
ris assumeret. Ad quam controversiam componendam, cum Ca-  
pitone, & Bucero, Basileam invitatus est Io. Sturmus, ex cuius  
Anti-Pappo IV. haec commemorat Melchior Adamus. Haec si  
observasset Io. Hornbeckius, temperasset sibi a convitiis, in B.  
Lutherum, & Lutheranos reliquos, in S. C. Lib. X. p. 756. Nonne  
enim